

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2019-2020

À rendre avant le jeudi 21 novembre (casier au DSA)

Version latine n°4 : supplice honteux d'un magistrat

Entre autres exactions, Verrès, préteur de Sicile, tente de s'approprier une superbe statue de Mercure offerte par Scipion l'Africain à la ville de Tyndaris. Lorsque Sopater, premier magistrat de Tyndaris, s'y oppose, il découvre à ses dépens ce que cela signifie de s'attirer le courroux de Verrès.

Erat hiemps summa, tempestas, ut ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus ut Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, praecipitem in forum deiciant nudumque constituent. Vix erat hoc plane imperatum, cum illum spoliatum stipatumque lictoribus uideres. Omnes id fore putabant, ut miser atque innocens uirgis caederetur : fefellit hic homines opinio. Virgis iste caederet sine causa socium populi Romani atque amicum ? Non usque eo est improbus ; non omnia sunt in uno uitia ; numquam fuit crudelis. Leniter hominem clementerque accepit.

Equestres sunt medio in foro Marcellorum* statuariae, sicut fere ceteris in oppidis Siciliae. Ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit, cuius officia in illam ciuitatem totamque prouinciam recentissima erant et maxima. In ea Sopatrum, hominem cum domi nobilem, tum summo magistratu praeditum, diuaricari ac deligari iubet.

Quo cruciatu sit adfectus, uenire in mentem necesse est omnibus, cum esset uinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. Neque tamen finis huic iniuriae crudelitatisque fiebat, donec populus atque uniuersa multitudo, atrocitate rei misericordiaque commota, senatum clamore coegit ut isti simulacrum illud Mercuri polliceretur. Clamabant fore ut ipsi se di immortales ulciscerentur ; hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens senatus ad istum uenit, pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam paene obriguisset, uix uiuus aufertur.

Cicéron

*Grande lignée de conquérants et protecteurs de la Sicile. Gaius Marcellus, préteur de Sicile avant Verrès, siège comme juge à son procès.